

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

**§. XXXIX.**

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**

mnes vivos autem & mortuos judicatum iri ante probatum est; quivis ergo viventium & mortuorum ad alterutrum latus stabit. Qui vero ad dextram fistuntur, abeunt in vitam æternam, cæteri in ignem æternum, ceu in sequentibus uberioris declarabitur. Neutri ergo in terrâ relinquuntur. Esse autem hoc judicium illud ipsum, quod in adventum Christi cadit, apertum est ex v.31. *Cum Filius hominis veniet in suâ gloriâ, omnesque sancti Angeli cum eo &c.*

**XXXVII.** Assertio decima octava: Post illud judicium non aliud expectari aut determinari potest judicium. Probatur, quoniam omnes homines jam sunt judicati, bis autem judicatum iri quendam nec ipsi concedent Chiliaſtæ. Nec etiam post illud judicium, novos homines, denuo judicandos, esse nascituros, inde patet, quod omnes homines tum erunt vel in vitâ æternâ vel in igne æterno: In neutro autem loco homines per generationem multiplicatum iri adeo manifestum est, ut probatione non egeat.

**XXXVIII.** Assertio decima nona: Condemnati in hoc judicio non mactabuntur; sed in ignem æternum omnes conjicientur. Aperte hoc docet Salvator loco adducto Matth. xxv.31. seqq. quod scilicet dicturus sit illis qui ad sinistram sunt collocati: *Ite vos maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus;* & versu ultimo dicit: *Et ibunt (maledicti) eis κόλασιν αἰώνος, in cruciatus æternos.* Nihil itaq; hic de mactatione vel deletione impiorum per gladium, siquidem illa cum detruſione in ignem æternum nequaquam potest consistere.

**XXXIX.** Assertio vigesima. Fideles autem, seu illi, qui collocati sunt ad dextram Judicis, ha-

reditate obtinebunt regnum aliquod, illud scilicet, quod vocamus regnum gloriae. Apparet etiam illud evidenter inde, quod Salvator in adducto capite illis, qui ad dextram ipsius collocati sunt, dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, & hereditate posidete regnum illud, quod ab origine mundi vobis est paratum,* quod ipsum regnum versu ultimo dicitur vita aeterna. Ubi simul notandum est, quod eodem tempore adendum sit hoc regnum, quo omnes impii precipitabuntur in ipsam gehennam, cum omnia que de hoc iudicio dicuntur uno & continuo actu peragenda esse manifestum sit. Non igitur dici poterit, quod regnum hoc M. annis illam impiorum damnationem sit antegressum.

**XL. Assertio vigesima prima:** Non datur autem regnum Christi, quod tandem ad finem possit perduci, ut ipse Christus in eo regnare definat, aut illud alii tradat. Probatur ex manifesto Angeli testimonio *Luc. I. 33.* Erit (Filius Mariæ) Rex super dominum Jacob (Ecclesiam vid. *Rom. ix. 6. 7. 8.*) IN AETERNUM, & regni ipsius non erit finis. Quamvis ergo, in consummatione seculi, regnum gratiae transiturum sit in regnum gloriae; idem tamen Christus Rex noster in utroq; est & manebit, ita ut ipsum ejus regnum illo tempore non definat; sed potius fiat illustrius ac supremum suum assequatur gradum.

**XLL Assertio vigesima secunda:** Nec etiam in terris regnum quod pii accipient, expectandum est, sed in cœlo. Probatur ex illo, quod regnum hoc pii datur in præmium ut patet ex *Matth. xxv. 31.* seqq. Præmia autem pro persecutionibus & afflictionibus suis non in terrâ sed in cœlo danda promittit Salvator

*Matth.*